



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **EDEANA** IN CAMMARUNIA NOVA
CONDITUR DIOECESIS NOMINE EDEANA Quo aptius consuleretur evangelizationis operi in
Cammarunia, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro
Gentium Evangelizatione praepositi, re mature perpensa auditisque eorum quorum interest
faventibus votis, censuerunt nuper in eadem Natione novam condendam esse dioecesim,
detractis duabus partibus territorii, una ab archidioecesi Dualaënsi altera a dioecesi
Nkongsambensi. Nos igitur, de universo Dominico grege solliciti, talem sententiam ratam
habentes, summa Apostolica potestate sequentia decernimus. Ab archidioecesi Dualaënsi
separamus partem territorii quae « Département de la Sanaga Maritime » appellatur; a dioecesi
autem Nkongsambensi seiungimus partem territorii, quae « Département de Nkam » nuncupatur
et in qua Missio Yinguinensis est sita, ex iisque novam condimus dioecesim Edeanam
appellandam, quam suffraganeam metropolitanae Sedi Dualaënsi facimus atque iurisdictioni
Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus, cuius limites iidem erunt ac duarum
partium territoriorum civilium, quae memoravimus. Praeterea iubemus Episcopi cathedram
collocari in templo Sacro Cordi Iesu dicato, quod in urbe Edeana exstat, atque consultores
dioecesanos eligi et adhiberi ad normam iuris; cetera secundum canonicas leges temperentur.
Quae praescripsimus ad exitum perducet Venerabilis Frater Sanctes Abril y Castelló,
Archiepiscopus titulo Tamadensis, Apostolicus Pronuntius in Cammarunia, vel a eo delegatus
sacerdos, factis nempe necessariis facultatibus. Re autem acta, documenta exarentur sincerisque
exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittantur. Hanc denique
Apostolicam Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis
quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die altero et vicesimo mensis
Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXXV (1993), n. 6, pp. 471-472

© Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana